



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Elegia 1. Vbi Vox Ioannes nascitur, Vocis parés adhuc obmutescit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)

Virgo, puerque novis ambo vos sidera seculis,  
 Vos precor in tristi spargere nocte iubar.  
 Si tot inerrantes sol pascit in æthere stellas :  
 Fas sit, ut & terris Phosphorus alter eam.  
 Et mihi lux propior celerem maturet Eoum,  
 Non properet sol in Virgine lucis iter?  
 Soligenis ubi virgo regit sacra fræna quadrigis ;  
 Ceu stimulis, radijs quos vibrat, vrget equos.

---

## LIBER II

## VITA IOANNIS.

Elegia I.

Vbi Vox Ioannes nascitur, Vocis parēs  
 adhuc obmutescit.

**I**Am sterili (mirum) seges emicat aurea campo,  
 Lacæa cui siccō germine vena fluet,  
 Cui mendax vteri spem sèpè iuuenta fefellit,  
 Marcer in exsanguī mæsta senecta gelu.  
 Et ceu flos moriens animas exspirat odoras :  
 Exprimit extremas tristis Elisa preces,  
 At quod non peperit sol tot vertentibus annis,  
 Id parit ad paucos luna nouena dies.  
 Exhaustis ubi iam spes excidit ultima votis ;  
 Quam minimè speres, sera dat hora fidem.  
 Nunc anus alba parens (coruo res rarior albo)  
 Parua mora est, partu dulce leuabit onus.  
 Germinat in florem defœta bruma senectæ,  
 Cui grauidum seluet Cynthia nona sinum.  
 Conscius interpres Verbi, & Vox ultima priscis  
 Variibus, ut Verbo sit tuba prima suo.  
 Gratulor hoc equidem, valuisque attexo corollam :  
 Deque sinu, & calatho liba, rosæque pluent,

En, iam

En, iam mœsta diu sterili de flore iuuentæ  
 Gaudia maturâ fruge senecta parit.  
 Antiquusque ignominia pudor, atque doloris,  
 Fœdâ seges, partûs gloria sera venit.  
 Sed fons dulcè liquens quid nescio fundit amari.  
 It dolor ut læcio turbida vena toro.  
 Scilicet infrænanti captiuam vincula linguam,  
 Palpitat informi murmure iussa loqui.  
 Florentesque toros tristi mors occupat umbrâ,  
 Seu potius mortæ mortis imago premit.  
 Turpe quid obscuro pater ore remugit & infans  
 Hæret, hiatque cauo vox quasi bruta specu?  
 Nec potis exiundi moroso sermo palato;  
 Nunc vbi vox verbi nata sonante domo est?  
 Siccine iam natus puer (ô scelus!) ora parenti  
 Inuidet, ut furdâ vinciat illa serâ?  
 O pudeat gnatum, pudeat sine voce parentem!  
 Lis sibi quam discors! hic silet, ille sonat.  
 Parce, quid obturbas? nil tale quid ausus alumnus,  
 Nec potuit, nedum crimina tanta velit.  
 Qui silet hic pater, ipse sibi sua noxa, vel error,  
 Suppliciumque suum est, sed puer iste salus.  
 Audio iucundos iam libera lingua triumphos,  
 Plaudit iò, muto vox vbi nata sinu est.  
 Nunc age iucundos pater, ô pater euge, triumphos!  
 Plaude, puer dixit, nec mora, plaudis iò!  
 Ludit in enodi iam libera lingua palato,  
 Officiumque mantis occupat apta loqui.  
 Alternusque pari puer hinc, pater inde, susurro  
 Fit chorus; at IESVS ipse Choragus erat.

*Elegia 2.*

**Nato iam Ioanne adhuc mutus  
Zacharias.**

**P** Laude pater, gelidæ spes floret amœna senecta,  
 Certa vount diui gaudia, plaude pater.

Vox erat